Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Grate ammodum nobis iocundeq; accidit · ut simul nos consti-
tutos apud hipponem tuae reuerentiae litterae repperirent ·
Quib; haec rescripta pariter redderemus · cognita autem inco-
lomitate gaudentes · uicissimq; nostram quam uobis caram · esse con-
fidimus · mutuam dilectionem nuntiantes · domina debitis
in Christo officiis honoranda · et merito inlustris filia ·
Scire autem uos optime scimus · quantum uobis debeamus
relegionis affectum · quantaq; nobis et apud deum et inter
homines sit cura de uobis · Lic& enim uos per litteras primum ·
Deinde etiam praesentia corporali · pia et catholica · hoc est
uera membra Christi exiguitas nostra cognouerit · tamen etiam
per ministerium nostrum cum accipistis uerbum auditus dei · sicut
dicit apostolus · accepistis non ut uerbum hominum sed sicut
est uere uerbum dei · Cuius ministerii nostri · adiuuante gratia
et misericordia saluatoris in domo uestra tantus fructus exhor-
tus est · ut humanis nuptiis iam paratas · sancta demetria spiritale
sponsi illius praeferret amplexum · cui speciosus prae filiis hominum
ad habendam ipsius uberiorem fecunditatem · nec amittendam
carnis integritatem uirgines nubunt · Nesciremus autem quem-
ammodum nostra illa tunc exhortatio et fideli et nobili uirgini
fuiss& accepta · nisi nobis profectus · cum post paululum pro-
fessa fuiss& sanctimoniam uirginalem · hoc ingens dei donum quod
per seruos quidem suos plantat et rigat · sed per se ipsum dat incre-
mentum · nobis opera nostra prouenisse uestrarum litterarum
laetissimo nuntio · et ueraci testimonio disceremus · Quae
cum ita sint · nemo nos inprobos dixerit · Si uobis admonendis
ut contraria gratiae dei dogmata deuit&is · necessitudine sumus
propensiore solliciti · Nam lic& nos apostolus · non solum oppor-
tune uerum etiam inportune praedicando uerbo instare prae-
cipiat · Non tamen in eorum hominum numero uos habemus ·